



Stech-  
flechte!



1 Weismanni s. Christ. Erbsh. i. iusta rationes  
collectionis Canonice Scripturarum  
Sacrarum, contra modernas quasdam  
objectiones vindicatio, Tubingæ  
1737.

2 Specimen Magni Nichilii in rebus  
vestri religionis, Tubingæ 1739.

3 Diff. de veritate divina, fuerit  
sicut expulsa, tamen usque recurrit  
Tubingæ 1740.

4 Varia Sacra, Tubingæ 1738.

5 Renovata exceptioes contra  
divinam institutionem Baptismi et  
3. Cene, Tubingæ 1736.

Responsiones Speciales ad Georgii  
Bulli objectiones de justificatione  
sua, Tubingæ 1733.



t. 8

De

Causis errorum circa doctrinam

DE

# ECCLESIA,

Nec minus

De Ecclesiæ veris ac legitimis membris,

Ejusdemque

Visibilitate & invisibilitate, splendore perpetuo, infal-  
libilitate, sanctitate, unitate, libertate,  
ac denique sanabilitate

Aphorismi

Ad

EXERCITATIONEM ACADEMICAM

selecti,

Quos

PRÆSIDE

CHRISTIANO EBERHARDO  
WEISMANNO,

SS. Theol. Lic. & Professore Publ. Extraord.  
ac Pastore Ecclesiæ Tubing.

Ad diem mensis Julii A. MDCCXXII.

Loco horisque solitis

Defendet

JOH. CHRISTIAN. WINCLER, Wimpinensis,  
Philosoph, Magister & SS. Theol. Studiosus.

---

TUBINGÆ,

Literis GEORGII FRIDERICI PFLICKII.



Causa etiam contra doctrinam

ECCLIA

Ymperii & universitatis

CHRISTIANO





1.



Ecclesia res magna, vel etiam magnum inane est, pro diverso illius respectu statuque, in quo eam deprehendimus. Res magna in statu suo divino, legitimo, benedicto. Magnum inane extra Deum & Spiritum ejus.

2.

Neutrum rectè & sapienter à quibusvis hominibus agnoscitur, utpote qui non omnes ad iudicium maturum & candidum de his rebus ferendum animum habent paratum atque idoneum, id quod verum esse facile ostendi potest.

3.

Ante omnia monemus, parum hic proficere homines in religione frigidus, qualicumque cetera ingenio & acumine in alio rerum genere polleant. Testatur enim experientia, hos plerumque religionem ultimo loco ponere, facilitatem soliditati, temporalia æternis, anteferre, & Ecclesiam ut cothurnum aliquem pedi suo aptare suis temporibus & locis securo quoque & quieto animo accommodandum.

4.

Parum etiam apti sunt ad iudicandum de religione & Ecclesia homines exacerbati per adspæctum stultitiæ & miseriæ hominum plurimorum in rebus sacris, æquè ac in aliis: sed qui ex defectu cordis sapientis & examinis discreti prolabantur ad Satyricum, irrisorium, quandoque & Atheisticum contemptum rerum humanarum omnium, ut sibi fingant, ac tantum non dicant, Deum & homines, mundum & Ecclesiam nil nisi histrioniam exercere.

A 2

f. Ho.



5.  
Homines contra supersticiosi magno quidem in pretio habent nomen Ecclesiæ: sed nec illi tuti sunt ab hallucinationibus miseris in hoc genere, iisque theoreticis & practicis, quæ notissimæ sunt, attamen tolerabiliores non parum præcedentibus, nisi summum gradum superstitionis conscenderint, qui plane inspidus & pessimus est.

6.  
Porro nunquam recte ac feliciter explicabunt doctrinam de Ecclesiâ, quibus ad introitum in regnum cælorum revelatio externa & respondens ipsi cognitio atque honestas sufficit, etiamsi forte gratiæ qualiscunque nomine haud omnino destituta.

7.  
Longissime etiam deviant à rectis solidisque principiis doctrinæ de Ecclesiâ, qui, ut PHILIPPUS MELANCHTON loquitur, *intuentes imperia & politias humanas quadam imitatione eam transformant in regnum; amat enim humana ratio talem picturam Ecclesiæ congruentem cum opinionibus civilibus, & potentes intelligunt, augeri hac opinione suam auctoritatem. Sciant autem pii ( hoc ille monitum rectè subjungit ) in hac imitatione vel potius κακοῦλησίᾳ multos errores esse.*

8.  
Nec facilè ad medullam hujus doctrinæ se penetrabunt homines illi otiosi & superficialii, qui pulchra verba cupidius, quàm res mille amplectuntur, qui lubentius audiunt declamatorem acutum & eloquentem, licet in erroribus palliandis occupatum, quàm confessorem veritatis, solidum equidem & probatum, sed istis ornamentis vel destitutum, vel non utentem.

9.  
De illis, qui in religione Sectarii sunt, h. e. salutem & gratiam Dei ita concludunt intra pomeria cœtus sui particularis, ut omnes alios cœtus & personas ab illis excludant, liberè pronuntiamus, eos sibi ipsis claudere oculos, ne videre possint magnam partem veritatum, doctrinam de œconomia divina circa Ecclesiam pulcherrime ornantium.

10.  
Plures causas erroris in hac doctrina si adducere liceat, non est abs re meditari, plus simplici vice quoque factum esse, ut errores & vitia, quæ in Ecclesiam irreperunt, ipsumque etiam parandæ medicinæ



næ studium inflectendis in contrarium errorem dogmatibus de Ecclesia occasionem præberent.

11.

Sic putant non pauci, amplificationem antiquissimam dignitatis Ministerii Ecclesiastici, quæ partim per ordinem distinctum à ceteris Christianis, partim per assumptam prærogativam Sacerdotii propriè dicti facta sit, spectasse equidem ex primorum Auctorum intentione ad muniendam Ecclesiæ tranquillitatem contra nimiam licentiam multitudinis, augendamque Ministrorum Ecclesiæ venerationem necessariam, sed immensum quantum postea legitimo ordini Ecclesiæ noeuisse.

12.

Quorum sententiam non omnino à veritate abludere, multa tamen falsa & exaggerata simul miscere persuasi sumus.

13.

Hæreses teterrimas primorum seculorum, conjunctas sæpe cum *σοφισμῶν* arcanæ sapientiæ, nec minus cum contemptu & tortura scripturarum, dum facili & populari quasi modo conabantur destruere DD. veteris Ecclesiæ, huicque finì obtinendo adsumebant speciosum præjudicium autoritatis & fidelitatis Ecclesiarum Apostolicarum; non immerito visi sunt hujusmodi quoque argumentis pugnasse, quæ autoritatem Ecclesiæ ultra, quam par est, extenderent, ad eamque potius, quam ad Scripturæ S. scrutinium usumque proprium in inquirenda veritate divina deducerent.

14.

Hoc nomine præ aliis IRENÆUS, TERTULLIANUS, & AUGUSTINUS à variis Scriptoribus notati sunt, idque eo liberius, quia certissimum & invictissimum præsidium in illis hypothesis Veterum quarere solent DD. Ecclesiæ Romanæ, ita ut RICH. SIMONIUS (quod exemplum ex innumeris nunc solum allegabimus) alicubi jactaverit, se tincturam hæreticam in multis Neo-Catholicis unius libelli TERTULLIANI *de Præscriptionibus* lectione à se commendata sanavisse, postquam eosdem per intervallum aliquod ab omnium Scripturæ S. versionum seu Catholicarum, seu hæreticarum, usu abstinere jussérat.

15.

Ortis inter Christianos schismatibus corrumpi cœpit doctrina de unitate Ecclesiæ per varias hypothesis non ubique prudenter digestas,



quibus deinde sequior ætas adhuc periculosius abusa est per manifestam confusionem externæ communionis Ecclesiæ cum communione Sanctorum mystica & spirituali.

16.

Disputationes cum Donatistis de Ecclesia nulla, si non pura, non sine ratione creduntur portam aperuisse languori Christianorum in æstimandis damnis mixturæ tot malorum in Ecclesia, licet in specie AUGUSTINUS inter conscientiam suam disciplinamque Spiritus Sancti, quæ in illius pectore valida erat, & inter hypotheses sui temporis sæpe fluctuasse videri possit.

17.

Et quæ alia causa auctoritatem irrefragabilem primo, deinde infallibilem Ecclesiæ, ac tandem Papæ Romani ad extremum hujus scenæ peperit, quàm prætextus abolendi corrigendique inobedientiam atque incredulitatem privatorum Christianorum, tutoque ducendi conscientias per oraculum errare nescium?

18.

Ut Ecclesiæ jura tuta essent ab oppressione injusti forsan Magistratus Politici, in illud extremum, quod nemo ignorat, delapsi sunt homines Ecclesiastici, ut Ecclesiam regnum in regno, rempublicam in republica constituerent, quæ confusio Ecclesiam non minus atque rempublicam ita depravavit & miscuit, ut limites utriusque nunquam potuerint postea perfectè restitui.

19.

Sed & contrarium errorem in doctrinam de Ecclesia introduxerunt alii, qui cum præ se ferrent propositum tyrannidem Ecclesiasticam frangendi, imo, si fieri possit, tollendi, vera Ecclesiæ jura imminuerunt, jugo, quantum in ipsis erat, illi imposto, quod non possit non ejus cervici molestissime & cum pondere pernicioso incumbere.

20.

Solipsissimum Sectarium post longa & acerba illius experimenta deinceps corrigere voluerunt homines liberiores per hujusmodi ideam Ecclesiæ, quæ tanquam in Systemate nimis Latitudinario obvios quosvis homines, dummodo Scripturam pro regula fidei habeant, & nomen Christianum generali sensu profiteantur, in sinum suum recipiant. Id vero remedium ipso morbo pejus est,

21. Stu-



21.

Studium devitandi incommoda coacta & affectata subordinatio-  
nis Ecclesiarum Independentissimum peperit, hujusque fautores pro-  
pulsavit ad docendam ejusmodi libertatem Ecclesiarum particularium,  
quæ in totalem anarchiam & dissolutionem omnis boni & necessarij or-  
dinis visa est desinere.

22.

Frigus operis operati in sacris publicis, & præscripta in precibus ac  
formulis uniformitas Liturgica, prætextu liberi influxus Spiritus S.  
ejusque immediati & sensibilis, nec non specie sacrorum magis spiri-  
tualium, Tremulos, quos vocant, genuit, eorumque doctrinam de  
Ecclesia à reliquorum principiis longo intervallo disjunctit.

23.

Ne de aliis paroxyfnis adhuc recentioribus disputationum verba-  
lium ac realium de Ecclesia, quæ omnes prope virtutes ac vitia vete-  
rum de hac materia certaminum mirifico compendio complexæ sunt,  
multa nunc dicamus.

24.

Est interim res maximi momenti in oculis hominis Christiani,  
circa ea, quæ Ecclesiam concernunt, vel prorsus non errare, vel sal-  
tem periculose non errare, unde nemo absque damno suo vitare po-  
test obligationem sapienter & cum judicio spirituali in hac causa versandi.

25.

Natum esse in Ecclesia, & nescire, quid sit Ecclesia? turpissimum  
est. Esse in Ecclesia, & nescire, cur in Ecclesia existas? sectarium est.

26.

Vivere in Ecclesia & non distinguere, quæ bona, quæ mala sint  
in Ecclesia, cæcum & periculosum est.

27.

Membrum Ecclesiæ melioris existere aut fieri sine gustu & exami-  
ne cujusvis Christiani hominis conditioni conveniente, casus potius for-  
tuiti, quam sapientiæ est.

28.

Interesse Ecclesiasticæ societati animo profano & in religionem  
quæcumque, maxime autem veram, hostili, histrionicum potius,  
quam religiosum est.

29. Ex



29.  
Ex quibus omnibus, & pluribus aliis, rationibus, è quantis difficultatibus & impedimentis ad sanum rectumque de Ecclesia iudicium, maxime, quod nec remissum nimis & languidum, nec fervidum nimis atque indiscretum sit, cluctari oporteat, universi facile intelligunt.

30.  
Quamvis nec illud diffitendum sit, quòd, si unquam, postremis certe his seculis, plurimum lucis huic de Ecclesia doctrinæ Deus inferri curaverit, non solum per homines ingenio & sapientia præstantes, sed etiam, dum ipse tantum non omnes Ecclesias ventilavit, illasque diem, ut Apostolica formula utamur, divinum & humanum singulari ratione passus est experiri.

31.  
Ex hoc dono nostris Ecclesiis atque ætati nostræ à Domino concessio delibabimus & nos ad præsentem exercitationem Academicam ( huic enim nostras meditationes libere, & jure quodam nostro, attemperavimus ) summa hujus doctrinæ capita, non omnia quidem, aliqua tamen eorum, quæ præ ceteris eminere solent, atque à nostri temporis DD. in pretio haberi.

32.  
Nonnisi vere fideles & sanctos vera & proprie dicta Ecclesiæ membra esse, recte docent Protestantes: Sed vim, nervum, & fructum hujus doctrinæ eos opere ipso semper & ubique exhibere, cum fiducia affirmare non possumus.

33.  
Gratias agimus Deo pro doctrina optima, quam ex ipsis S. literis accepimus. Humiliamus nos coram Domino, cum videmus, hanc veritatem non ita frugiferam esse apud nos, ut meretur.

34.  
Contradicunt hic nobis DD. Ecclesiæ Romanæ, eorumque nonnulli tam rigidi sunt, ut prætendant: accurate illos loqui, & conceptissimè Ecclesiæ propriissime exhibere, qui malos hypocritasque aque ac fideles & bonos ipsos membrorum Ecclesiæ titulo honorant, improprie contra vocari Ecclesiam, quando pro solis sanctis sumitur.

35.  
Enimvero iidem DD. Rom. Ecclesiæ fateri coguntur cum Augustino:



stino: *malos & hypocritas in Ecclesia quidem esse, sed non de Ecclesia: esse eos membra mortua; ita esse de corpore Ecclesie, ut non sint de illius anima; eo modo pertinere ad Ecclesiam, quo phlegma, sanies, superflui humores & stercorea pars sunt corporis. Quo sensu nec Protestantes negaverint, malos &c. ad Ecclesiam posse referri.*

36.

Recte ideo iudicavit BOSSUETUS ipse de hac controversia: *quod il pauvoit y avoir autant de dispute des mots, que de choses: tantum logomachias, quantum veræ litis in ea deprehendi.*

37.

Distinctio celebris inter Ecclesiam visibilem atque invisibilem solida est, & respectum habet necessarium ad statum fidelium internum & externum, turbidum aut tranquillum, purum vel impurum, illustrem vel obscurum, ordinatum aut disiectum. Quæ omnia nec ipsa simpliciter negare potest Romana Ecclesia, atque adeo revera tenetur nostro sensu Ecclesiam invisibilem agnoscere.

38.

Cardinalis PERRONIUS alicubi opponit: *Ecclesiam in statu persecutionis non litis, sed rosis illustrem esse. Dicant, sic excipiunt FF. WALENBURGII, edicta conscribi adversus homines invisibiles, invisibiles esse Martyres &c.*

39.

Hoc autem si velint tantum, nec Nostrates eo sensu negabunt visibilitatem Ecclesie, etiam in difficillimis temporibus. Dummodo id simul agnoscatur, rosas istas pro illo tempore a plerisque non pro rosis fragrantibus, sed tanquam foetentia Zizania haberi & tractari. Cavendum itaque, ne per æquivocationes in re gravi & seria partes disputantes hic sibi temere illudant. Vel si plus postuletur, dicemus, Ecclesiam in eo statu oculis quidem Spiritus esse visibilem, carni vero & sanguini omnino esse & manere invisibilem.

40.

Illud quoque solent objicere, nos per illam distinctionem duas facere Ecclesias, quæ tamen sit unica. At valde imbecillis est hæc objectio. Si enim Ecclesie status internus & externus recte se habeat, vel si de veris tantum Christianis sit quæstio, tunc invisibilia & visibilia distinguendo non facimus duas Ecclesias, sed duplex adjunctum unius Ecclesie consideramus.

B

41. Quod



41.

Quod si vero ab Ecclesiæ visibilis & mixtæ membris corruptis, mortuis, malignis & hypocriticis, quæ prohdolor nimis sunt visibilia, separemus verè fideles, ut plurimum soli Deo certo & accurate cognitos, quidni & hi & illa revera constituent in oculis Dei duas distinctas & quàm dissimillimas Ecclesias, quæ & in æternum distinctæ erunt ac manebunt, cum una in cælo, altera in inferno erit; illa in hoc quoque seculo sub ira Dei jacet, hæc gratia Dei & summis illius beneficiis fruitur.

42.

Denique id unum addimus: Nunquam minus opportune, aut magis inique negatam esse invisibilitatem Ecclesiæ verorum fidelium, quàm hoc ipso tempore, in quo nunc vivimus; dum Christiani titulares communi prope consensu in id incumbunt, ut genuini in dies fiant rariores, imbelles, absconditi, tantum non plane invisibiles, imo, quantum in ipsis est, nulli.

43.

Altioris indaginis est, & propius ad interiores recessus causæ controversæ inter Pontificios & Protestantos spectat, quæstio de perpetua & nunquam interrupta gloria, splendore, successione & indefectibilitate Ecclesiæ, cujus affirmatio speciem habet studii sanctificandi nomen Dei, re vera autem folium ficus est tegendæ apostasiæ & magno relapsui Christianorum à statu suo primævo, & justificandæ contra iudicium Dei ipsius Ecclesiæ apostaticæ destinatum.

44.

Promissionibus divinis liberalissime datis suum omnino apud omnes constare debet pretium. Sed injustum est, ideo negare, quòd mali sint homines, quia bonus est Dominus, negare adulterium sponsæ infidelis, quia fidelem habet sponsum, negare, carnem omnem corrupisse vias suas, cum diu & efficaciter cum ea Sanctus litigavit Spiritus.

45.

Promissio de portis inferorum adversus Ecclesiam in petra fundatam non prevalitur ad promiscuam multitudinem Christianorum, quomodocunque illa se gerat, nequaquam pertinet. Multo minus ostendi potest, portas inferni esse solas hæreses & errores doctrinales exclusas ceteris pestibus & malis, per quæ regnum Diaboli vastat & vitiat.  
Eccle-



Ecclesiam; admissa etiam hypothese recepta, quod portæ inferorum infidias & rabiem Diaboli contra Ecclesiam designent.

46.

Nullibi pollicitus est Dominus Ecclesiæ eam infallibilitatem, quam ipsi Romanæ Ecclesiæ DD. tribuunt, nostraque potissimum ætate ad summum evexerunt fastigium.

47.

Inter alia falso supponitur, autoritatem istam infallibilem esse idæo necessariam, quia paucissimi ad examen veritatis per se ipsos sint idonei; id enim de examine subtili, ingenioso, longo & difficili spinosarum de religione controversiarum verum quidem est: falsum autem, cum agitur de scrutinio & examine simplici, spiritali, salutifero, omnibus necessario, omnium statui dotibusque accommodato, atque in humili potius & docili fide à Spiritu S. in cordibus accensa, quàm in subtilibus & longe petitis ratiociniis consistente.

48.

Nec illud verum est, cum fructu non posse audiri Ecclesiam, ejusque officium in testimonio veritatis esse inutile, nisi haberi possit infallibilis: Vis enim veritatis divinæ & irrefragabilis non latet in Ecclesia, sed in verbo Dei, ad cujus salutarem intellectum usumque Ecclesia tenetur homines manuducere, si quidem facit officium suum.

49.

Oleum & operam perdunt, qui demulcere conantur certantes pro infallibilitate hujus generis & contra eam Ecclesias, dicendo: *omnino & hanc & illam dici posse infallibilem, quatenus & quamdiu adherent verbo Dei infallibili, aut in quantum sequuntur Spiritum S. in verbo suo ductentem in omnem veritatem.*

50.

De hoc enim nulla est quæstio, & nulla unquam fuit. Id potius controversitur: An Ecclesia Romana (nostra nihil hujusmodi præterdit aut venditat) speciale privilegium infallibilitatis habeat in decisionibus fidei, ut non modo actu non erret, sed nec errare possit? atque adeo nullus unquam casus existat, in quo definitiones ejus accipi non debeant tanquam adherentes verbo Dei infallibili? id quod per conscientiam & districtè negandum est.

B 2

§ 1. Non



§ 1.

Non male Vir quidam Doctus annotavit, præsumtionem infallibilitatis, de qua hoc loco quæritur, causam Ecclesiæ Romanæ accusatæ pejorem facere, non meliorem: eo quod illius lapsus in medio lumine infallibili Diabolicæ malitiæ, quàm humanæ fragilitati fieret similior.

§ 2.

Summum paradoxum est, Archiepiscopum FENELONIUM, qui in propria persona expertus est, Ecclesiam Romanam non esse infallibilem, tanto conatu infallibilitatem ejus in quæstionibus juris & facti potuisse propugnare: ad minimum enim credere non debuit, factum causæ suæ infallibiliter decusum esse, cum opiniones non suas & male intellectas videret in Bulla, quam tota Ecclesia R. Catholica accepit, tanquam suas damnari.

§ 3.

Dicitur communiter, Synecdochice loqui Scripturam, quando Ecclesiam vocatorum sanctam nominat, scil. ratione bonorum, qui in ea sunt, quamvis de cetero plurimi mali & non sancti simpl. sint Ecclesiæ permixti, in quos titulus ille non competit. Et certe hac synecdoche jam à longo tempore opus habent Ecclesiæ Christiani nominis, neque dubium, sic respondendum esse pro præsentis statu cœtuum singulorum, qui Christianum nomen hodie profitentur.

§ 4.

Quæri autem possit: an, & quousque idem de Ecclesiis Apostolicis dicendum? de quibus quandoque nonnulli sic disserunt, quasi paucis exceptis, meliores nostris cœtibus haud fuerint, imo vero in multis etiam peiores ac inferiores.

§ 5.

Graviter eos errare, ait Vir quidam doctus, qui plerosque Christianos illius ævi mores suos ad præcepta omnia Evangelica, ut par erat, exegisse putant. Paucos fuisse laudibus Apostolicis dignos, qui tamen à ceteris amolienda invidia causa non distinguantur. Esse hæc assignanda comitari & prudentia Pauli homines ad virtutem potius excitantis, quàm eorum moribus testimonium perhibentis.

§ 6.

Pergit idem dicere: Errare ergo, qui, quo antiquiores Christi-  
ani



ani fuerunt, eo meliores existimant. Evangelium hodie ab infantia animis instillatum, & longa consuetudine firmatum, ut eruditionem, qua postea illustratum est, taceat, animos feliciter subire, & ad omne virtutum genus vehementius accendere.

57.

Denique concludit: Passam esse forte defectus illos Christianorum ævi Apostolici divinam Providentiam, ne Apostolorum discipuli Evangelii autores fuisse viderentur, neve sola eorum sanctorum Christiana doctrina commendata videretur, vel, ut semper magnum interesset discrimen inter Magistros & discipulos, quo doctrina Evangelica divinitus magis eluceret &c.

58.

Nostra certe conscientia vetat probare omnia, quæ modo adduximus. Quamvis non omnes Christiani ætatis Apostolicæ pari gradu fuerint illuminationis & sanctificationis, eosque Tentator variis modis ad relapsum tentaverit, nec semper absque successu, arbitramur tamen clarissimum esse, quoad dona Spiritus & egregias primitias gratiæ Dei nullam Ecclesiam, quæ in hunc usque diem in mundo fuit, posse cum Ecclesiis Apostolicis comparari.

59.

Tam crude ac negligenter obvios quosque à primis Christianis, maxime ab ipsis Apostolis in communionem suam receptos fuisse, aut in ea toleratos, tota certe & frequens refutat Scriptura Apostolica.

60.

Injuste etiam scandala & vitia hinc inde enata, sed repressa correptaque à reliquis, quamdiu floruit prima puritas & zelus Ecclesiæ, cum statu hujus ordinario confunduntur.

61.

Nolim simpliciter negare, quòd Apostoli, dum alloquebantur Ecclesias tempore emergentium scandalorum, earumque fidelibus membris præclara & generalia tribuebant elogia, comitatis & prudentiæ gratia non semper conceptis verbis malos Ecclesiam turbantes & vitiantes excluderint. Sed nullo modo verisimile est, eos in hunc modum locuturos, si Ecclesiæ illorum temporum ex numerosioribus malis constitissent, cum ille schematicus loquendi in hoc rerum statu gravita-



tem Apostolicam & sapientiam divini Spiritus nequaquam decere videatur, ut vel ex tenore epistolarum 7. Apocal. demonstrare facillimum est.

62.

Rationes pro permissis à divina Providentia defectibus istis Christianorum ævi Apostolici supra allatas precario confictas, & nullius roboris esse arbitramur.

63.

Longe religiosius & sapientius statum & vicissitudines Ecclesiarum Apostolicarum descripsit VITRINGA in elegantissima *Hypotyposi Historia Sacra & dissertatione memorabili de statu Ecclesie Christiane à Nerone ad Trajanum*, qui mihi hinc insigniter placuit.

64.

Nec illud frustra quæritur: an fieri possit, ut hujusmodi cætus particulares, maxime non admodum numerosi existant, in quibus ne Synædochica quidem sanctitas paucorum bonorum inter malos reliquos locum habeat? Nos id simpliciter negare nollemus, imo veremur, ne id sæpius contingat, quàm creditur.

65.

Quæ *Es. LV, 11.* dicuntur à Deo per Prophetam de efficacia verbi sui, contrarium illi, quod modo diximus, non probant. Nam nec cæli pluvia ab omni terra imbibitur, eamque reddere potest frugiferam, maxime, si incidat in terram reprobam & maledictioni vicinam, qualis *Ebr. VI, 7. 8.* describitur.

66.

Mira sunt verba FENELONII, quibus aliquando reditum ad communionem Ecclesie Romanæ non nemini persuadere voluit: *In sola*, inquit, *Ecclesia Catholica invenies donum orationis, quod tantopere diligis. Alibi* (h. e. in Protestantium cœtibus) *concionantur, cantant, laudant Deum, ratiocinantur, disputant, exhortantur, regulas & statuta conficiunt. Sed in Ecclesia antiqua parvuli sunt Christiani &c. Numerus, fateor, hujusmodi animarum, quibus mundus indignus, exiguus est. Interim nullibi est, quam hoc loco. Non nisi unitas tales fructus ferre potest.*

67.

Hæc si vera sunt, gratia sanctificationis & vera sanctitas erit Romanæ Ecclesie propria. Enimvero id à veritate alienissimum est. Ut  
Christi-



Christiani sumus, oportet nos regenerari cœlitus, atque ex tenebris ad lucem, ex morte in vitam, à potestate Satanae ad Deum & regnum ejus transferri. An hoc absque Roma fieri non potest? Spiritu S. hic opus habemus, non Romano Pontifice, vel ullo alio medio, quod huic simile est.

68.

An purior esse soleat doctrina Ecclesiae ante motas, vel post motas agitasque in Ecclesia controversias? de eo variae prostant doctorum virorum sententiae, & rationes in utramque partem speciosae.

69.

Nos existimamus, utramque sententiam aliquid habere ex vero, atque adeo litem istam facile componi. Nec ipsa sibi similis in hac est experientia. Saepe contigit, ut doctrinae verae ab initio rudes & indigestae successu temporis per limam controversiarum fuerint exolitae: saepe etiam errores primum crudi & male confarinati eodem subsidio facti sunt speciosi, ordinati, robusti, ut & plures seduxerint postea, & minori cum facilitate potuerint expugnari.

70.

Mixtura ingens & voluntaria malorum cum bonis in communione Ecclesiastica contraria est procul dubio puritati & sanctitati Ecclesiae, & si longius processerit, continuo sequi solet malae partis praedominium, triumphus insolens, quieta possessio, jus praescriptionis, pugna valida ac diu superior omnibus contradictionibus & conatibus bonorum emergendi per varia intervalla, denique totius formae & status Ecclesiae interni coram oculis Dei & sapientum immutatio, cui non raro & externa accedit tempore judiciorum divinatorum ad maturitatem perventium.

71.

Confidentissime dicimus, eos, qui primi portam aperiunt vitii, ut rempublicam, ita & Ecclesiam vastantibus, abominabiles esse coram Domino, & ad Patres malorum stylo Scripturae pertinere, ad quos eorum similes congregari dicuntur. Imitationem istam Scriptura nominat ambulationem in via Caini, Balaami, Jeroboami &c.

72.

Nec dubitamus in proximo gradu culpae illos stare, qui infelicibus hujusmodi fundamentis superstruunt, neque generose solliciti sunt, ut malis valido quidem impetu irruentibus, sed nondum plane radicatis &



tis & firmis fortiter eant obviam, quin potius vel ex ignavia defectu-  
que luminis providi illa sine remedio necessario sinunt invalescere, vel  
ipsi ex malitia, ex sympathia carnis, profunditatibus Satanæ corda oc-  
cupantibus, augent & confirmant mala priorum temporum.

73.

Horum malorum omnium principalis scaturigo & olim fuit, &  
est adhuc hodie, inexcusabilis mundi & Ecclesiæ confusio, ac promi-  
sca omnium illius membrorum ad hujus quoque societatem admissio.

74.

Nihil absurdius, nihil divinæ intentioni in erigenda & evocanda  
ex mundo Ecclesia magis contrarium, nihil denique pestilentius est,  
quàm si mundus & Ecclesia in unam eandemque coalescant massam, &  
quod idem est, omnes mundi & reipublicæ cives hoc ipso jure simul  
existant membra & cives Ecclesiæ Christianæ.

75.

Fateamur, quod res est. Nimis facilis accessus patet ad Ecclesi-  
am. Si Ecclesiam consideremus ut congregationem sanctorum, quàm  
arctam ea habet portam? quàm angustam viam? Quanti constat vere  
filium Dei fieri, in vivum membrum vivi corporis JESU Christi evade-  
re? At si oculos convertamus ad statum Ecclesiæ externum, quantu-  
la quæso res est, membrum illius fieri! quàm lata via! quàm facilis  
aditus!

76.

Absurdi sunt, qui eo præcipuè sine aditum ad Ecclesiam, invito  
quidem Deo, tam latum & facilem efficiunt, ne Ministri Ecclesiæ il-  
lum pro lubitu possint reddere difficilem. Facile enim hic cogi potest  
ordo Ecclesiasticus ad aperiendam portam Ecclesiæ seu cœtus externi,  
confusi & promiscui: Sed ad aperiendum regnum cœlorum Deus ipse  
cogi non potest, ac spiritali mente captus jure censetur, qui hæc duo  
pari passu ambulare & succedere somniat.

77.

Sanctitatem Ecclesiæ nec obtineri, nec observari posse absque di-  
sciplina gravi, severa, sibi constante, ab omni personarum acceptione  
remota, religionis Christianæ sanctissimis præceptis consona, & Scri-  
ptura docet, & ratio confirmat, præterquam quod ipsa experientia  
eventus contrarii hanc veritatem omnibus debeat reddere palpabilem.

78. Lo-



78.

Loquimur autem de disciplina Ecclesiæ propria, ac prorsus distincta ab animadversionibus potestatis civilis in cives male moratos & immorigeros: quod enim nonnulli statuunt, has posse sufficere, illam necessariam non esse, operosa refutatione non indiget, cum validæ rationes adversus id figmentum cuius sponse in mentem veniant.

79.

Confusionem mundi & Ecclesiæ infelicitate obstare hujus puritati & sanctitati, vel ex eo specimine apparet quam luculentissime, quod in quamplurimis rebus, iisque momentosissimis, regulas vivendi habeant tam diversas ac disparatas, ut sæpe tantum distent, quantum cælum à terra abest. Et tamen in his mundus dominatur Ecclesiæ, non vero, ut jure divino par esset, sequitur Ecclesiam.

80.

Hæc licet candide fateamur, licet longissime cupiamus abesse ab omni studio palliandi vel negandi manifesta Ecclesiarum, etiam nostræ, pericula, nullo tamen modo vel cum Scripturis S. vel cum universali omnium temporum experientia, vel cum historia œconomiae Dei gratiosæ conciliare possumus, si quis dicat, in eo statu Ecclesiæ, quo invalescit multitudo malorum & hypocritarum, imo prævalet, nihil Ecclesiæ ipsa permanere, nullum Verbum Dei, nulla Sacramenta, nullum Ministerium, nullum cultum superesse.

81.

Latet in conservatione seminis sancti, etiam in corruptis cœtibus, ingens mysterium longanimitatis, sapientiæ, & potentiae divinæ, quod nec negari, nec in abusum trahi debet ab hominibus. Utrumque verò non pauci faciunt.

82.

Malleus cum Theologo Jenensi, JOH. GUIL. BAJERO dicere: *In Ecclesia corrupta & impura nasci posse Deo filios spirituales per media gratiæ ibidem residua: quàm alterum illad affirmare: Ex Ecclesia corrupta tales nasci. Certum enim est, ut ait laudatus Theologus, quid Ecclesia corrupta, ut est corrupta, non pariat Deo filios spirituales, sive vere fideles.* De reliquo non dubitamus, sensum utriusque formulæ ex mente Theologorum reipia unum eundemque esse.

83.

Frustra disputatur de unitate Ecclesiæ, nisi inter Christianos ea res-

C

situ-



fituatur unitas, de qua PAULUS *c. IV. ep. ad Ephesios* tam graviter locutus est. Hæc unitas divina, spiritualis, & sancta si absit, fundamentum solidum omnis reliquæ unitatis abest, abest benedictio Dei, abest succus atque medulla omnis veræ ac Deo gratae conjunctionis, id quod principis veritatis locò hic est accuratissime annotandum.

84.

De capite quodam visibili Ecclesiæ tanquam centro unitatis Christianorum tota filet Scriptura. Quæ vulgo eam in rem adducuntur è sacris literis, tam contorta sunt, ac tam longe petita, ut prodigii loco, imo tanquam singulare iudicium Dei haberi possit, quod pfevdhermenia hujus generis tam facile in Ecclesiam irreperit, ac tam altas radices egerit.

85.

HUGONIS quoque GROTII aliquando opinio fuit, *Ecclesia juncturas esse Episcopos in parte minore, in majore Metropolitæ, in parte adhuc majore Primates, deinde Patriarchas & in toto corpore eum, qui Princeps sit Patriarcharum, Episcopum Romanae urbis, que omnia conformata fuerint ad exemplar Principatus ejus, quem Petrus ex Instituto Christi habuerit in Apostolos; unitatem enim Antistitis optimum adversus schisma esse remedium, quod & Christus monstraverit, & comprobaverit experientia.*

86.

Si rem gestam Historice tantum narrare voluisset GROTIUS his verbis, nihil dixisset à vero alienum: revera enim his gradibus itum est ad Monarchiam Romani Pontificis: Sed quod ea probet, atque dicat, esse à Christo monstrata &c. id prorsus indignum erat tanti Viri iudicio, quod illo ipso tempore, quo hæc scripsit, per varias influentias turbatum fuerat.

87.

Falso sibi persuasit BOSSUETUS, quamvis ipsius MELANCHTONIS verbis paulo liberalioribus seductus, id quod hic subscripsit in Articulis Smalcaldicis de Romano Pontifice, fuisse communem Protestantium sententiam.

88.

Hunc tamen errorem Episcopo Pontificio minus adhuc vitio vertimus, quàm Viris illis doctis ex nostra Ecclesia, qui & olim scriperunt: *Subscriptionem istam Melancthonis esse partem LL. SS. & qui hos recipiat, etiam illam teneri recipere: nihil enim contra vel in margine, vel alibi moneri, quod tamen eorum opinione fieri, imo integer ille locus deleri debuisset, si Majores nostri Melancthonis sententiam non*  
appro-



*approbassent* ; idemque adhuc hodie confirmant, prudentioribus & ab affectuum perturbatione liberis adscripta hac ipsa sententia.

89.

Nimis frigide extenuatur momentum controversiæ de monarchia R. P. super Ecclesiam universam, cum dicitur à Theologo quodam celebri : *nihil in hac materia controversi remanere, nisi hoc: Primatum Romani Pontificis esse de jure divino.*

90.

Imo nec in isto articulo valde difficilis est idem Theologus, addit enim hanc glossam : *Quod si intelligatur de primatu honoris & ordinis ratione successionis in sede Apostolica, eo minus habebit difficultatis, quo certius est 1. ex dictis Scriptura S. Petrum primo inter Apostolos loco commemorari. 2. Deum esse amatorem ordinis & directionis, atque adeo, quicquid ad conservandum bonum ordinem & confusionem evitandam facit, suo modo ad jus divinum reduci, & inde denominationem posse accipere.*

91.

Scatet vero hæc sententia paradoxis duris & male cohærentibus cum doctrina Ecclesiæ nostræ, quam rectissimam esse credimus. Parum enim abest, quin ut legitima in verbis citatis admittatur conclusio à Petro ad R. P. in respectu ad gubernationem totius Ecclesiæ, quam tamen summo jure negarunt hæctenus Theologi nostri ut consequentiam falsissimam, imo tanquam basin omnium reliquorum figmentorum, quæ illi superstructa sunt.

92.

Condonari poterat MELANCHTONI & Melanchtonianis quibusdam ingeniis, quod nondum prorsus securi & fluctuante adhuc spe securitatis ac libertatis non tam de liberatione plena, quam desperabant, quam de temperamento servitutis tum temporis cogitaverint.

93.

Sed non sine ingratitude, non sine contumelia veritatis solide assertæ, non sine ingenti nostrarum Ecclesiarum præjudicio idem hodie dici vulgarique potest, postquam nos ab eo jugo, injusto & illegitimo, & nunquam secundum ideas istiusmodi reformando aut reformabili, Deus potenter absolvit, atque in libertatem afferuit.

94.

Ceterum Deus utique ordinis Deus est : sed is nunquam potestatem concessit Ecclesiæ prætextu boni ordinis ea constituendi ordinan-



diq̄te , quæ natura regni Dei & Ecclesiæ non conveniunt , eamque certo certius specie correctionis vel directionis necessariæ ex Charybdi in Scyllam conjecerunt , ut constans & diuturna docuit , & in hunc usque diem docere pergit experientia.

95.

Paritatem rituum universalem ornare Ecclesiam , unitatem testari & servare , neminem lædere , atque adeo ab ea recedere , non esse hominis socialis , nedum Spiritum Christi habentis , professus est GROTIUS , cui id facile concedi potest , si non nisi ritus utiles , innocentes , graves intelligantur ab iis , qui de hac re disputant , & si cetera quoque ubique sint paria.

96.

At non minus sapienter dici potest , quod ex vitio & imbecillitate hominum longe sit facilius ex absoluta quadam & scrupulosa similitudine rituum & ceremoniarum Ecclesiasticarum prolabi in superstitionem & amorem rerum istarum inordinatum , quàm si aliqua , imo audeo dicere , notabilis diversitas adsit in Ecclesiis , dummodo hæc sapienter dirigatur , & charitas simul regnet , quia illa ipsa varietas inculcat , pondus & momentum hujusmodi rituum per se liberorum non esse ulterius , quàm par est , extendendum.

97.

Inter cetera mala , quæ produxit prætextus necessariæ uniformitatis in Ecclesia , non postremum est celebratio sacrorum in lingua maximæ Ecclesiæ parti ignota , quæ magnam cultus divini portionem plerisque Christianis fecit inutilem , ac nutrit eorum ignorantiam , quicquid etiam ad abusum hunc ornandum vel Liturgici , vel Polemici , vel Mystici Scriptorum Ecclesiæ Romanæ in medium proferant.

98.

Folium ficus est , quod in specie JACOBUS OLIERIUS in *Catechismo suo spirituali* excipit , utilius esse , hoc modo unire preces suas per verba etiam non distincte intellecta cum Ecclesiæ precibus , quàm orare per se ipsum & in spiritu privato.

99.

Hoc consilium , si modestissime loqui velimus , ad summum ostendit , quomodo pii inter ipsos errorem jam commissum & irrevocabilem utcunque corrigere , ejusque incommoda & damna spiritualia temperare

rare



rare possint, rem vero ipsam sanam & sapienter constitutam esse, nequaquam probat.

100.

Præterquam, quod ea, quæ pulcherrime conspirant, injuste sibi invicem opponuntur, cum & distinctis intellectisque verbis orare deceat Christianos privatos, & in Spiritu cum tota Ecclesia orante sese conjungere, nec unum alterum ulla ratione impediatur.

101.

Memorabilia sunt, quæ pro communione externa Christianorum hypothetica disputavit CAMPEGIUS VITRINGA; nec minus memorabilia sunt, quæ ipsi pro communione absoluta opposuit Ven. noster FÖRTSCHUIS.

102.

Illius fundamentum primarium est, quod in omni communione externa ultimo respiciendum sit ad communionem spiritualem cum mystico corpore Christi, ad quod quis pertineat, absolute & liquido certi esse nequeamus. Posterior autem hanc positionem loco fundamenti substernit: *Communione profiteor cum Ecclesia & cum membris, non quatenus omnia membra conditiones verorum Christianorum præstant, sed quatenus in eodem cœtu verum & purum Verbum prædicatur, & Sacramenta rite administrantur.*

103.

Nos nulli dubitamus, communionem Christianorum cum cœtu quodam promiscuo, licet orthodoxo, certo sensu absolutam, alio autem conditionatam posse vocari: absolutam, quia non opus est ad id, ut cuidam cœtui me associem, singulorum membrorum statum spiritualem absolute cognitum habere; conditionatam vero ratione officiorum spiritualium, quæ nonnisi veris fidelibus præstari possunt, quos nec semper distincte cognoscimus, nec ab aliis discernere possumus.

104.

Falsum est, nec in casu erroris gravissimi, regiminis Tyrannici, cultus extreme superstitiosi, vel etiam injustæ ejectionis aut excommunicationis, communionem Ecclesiasticam externam licere deserere, eam maxime, quæ humani potius juris est, quam divini, constitutionis Ecclesiasticæ magis, quam unitatis absolute necessariæ & indispensabilis Ecclesiarum Christianarum.

105.

Neque tenentur injuste ejecti cum cœtu vel Ecclesia ejiciente re-

C 3

concili-



conciliari ad regressum usque, aut ejusdem communionem externam denuo quærere, quamdiu hæc in illo ipso proposito perseverat, & ejusmodi doctrinas, hujusmodi cultum & leges obtrudit, quas absque ejuratione veritatis & libertatis legitimæ amplecti non possunt.

106.

Enim vero hæc est facies rerum apud Ecclesias à Romana separatas in hunc usque diem. His enim, vel earum membris singularibus ne datur quidem regressus in communionem Romanæ Ecclesiæ, nisi per solennem *Professionem fidei*, quam PIUS IV. præscripsit; quamque, ut omnes R. Catholici lubentes fatebuntur, edere nemo potest, nisi Romanæ Ecclesiæ doctrina penitus imbutus; imo in qua ne ea quidem relinquatur libertas, quam Tridentini Patres visi sunt concedere.

107.

Quod postremum demonstramus ex articulo de invocatione Sanctorum, ubi de *Concilio Tridentino* persuadere volunt nobis, licet falso, Pacificatores Romanenses, per illius decreta illam non injungi ut necessariam, sed doceri tanquam *bonam & utilem*: Verum in *Professione Fidei* districtè dicendum omnibus Profelytis: *Constantè teneo, Sanctos unam cum Christo regnantes invocandos esse.* Hoc utique plus involvit, quam alterum. Illud commendationi & consilio simile est: hoc præcepto seu mandato obligatorio.

108.

Sunt, qui ex nimio studio palliandi hoc postulatum Ecclesiæ Romanæ, ejusque invidiam apud Protestantes minuendi, obvertere audent: *in canonibus Concilii Tridentini & Professione non damnari sanam nostram doctrinam, sed nostras tantum condemnationes doctrinæ Pontificiæ: adeoque eum, qui transit ad Pontificios, non teneri abjurare saniorum, quam didicit, doctrinam, sed condemnationem tantum doctrinæ Pontificiæ missam facere debere.*

109.

Nos vero ad id refellendum ne quidem ad multas demonstrationes, sed unice ad ocularem inspectionem *Concilii Tridentini & Professionis* allegatæ, ad confessionem cordatorum Virorum Ecclesiæ R. Catholicæ, & ad praxin consuetam & ordinariam in his casibus provocamus.

110.

Fieri posse, ut non solum propter errores fundamentales rigidissimi

mo



mo sensu acceptos, ( qui sensus nec in nostra, nec in Reformatæ Ecclesia, præcipue, saltem non unice, attenditur ) sed etiam propter errores minoris momenti, attamen graves & sui ponderis, aliqua disjunctio externa locum habere possit in Ecclesiis particularibus, imo nonnunquam habere debeat, vix dubitare possumus.

111.

Maxime si pars una sit intolerantior, & alteram nolit admittere, nisi sub conditionibus duris & iniquis, imo forte vitiosis & contra conscientiam pugnantibus: item si veriores doctrinam hic ille cæcus timeat per hujusmodi communionem amittere, aut notabili saltem eam amittendi periculo sese exponere, aliisque in casibus similibus.

112.

Dummodo hujusmodi suspensio communionis externæ careat pruritu Sectario damnandi, odio & zelo amaro, paribusque vitiis Christiano homine indignis, atque semper parati sint boni cordatique homines ad amorem mutuum, ad vota, ad preces, ad pacis denique studium, si illius spes pia & legitima affulgeat.

113.

Sapienter monet VITRINGA, cum scribit: *Et est hic tamen prudenter procedendum, ne fidei in non necessariis & sæpe dubiis ac incertioribus dogmatibus ita consulamus, ut ledamus charitatem, & eos forte nos damnemus, quos Christus Dominus, summus iudex, absolvit. Certe multis compertum est experimentis, vicinas religiones acrius dissidere, sive quod injurias nobis ab amicis illatas gravius feramus, quam ab hostibus, sive, quod amulatio & invidia inter dissidentes vicinarum religionum se facilius misceant partibus, humana indolis vitio, quod nonnisi à Spiritu Christi emendari potest.*

114.

Magna etiam & vexata quæstio est: an & quousque propter disolutam disciplinam & corruptissimos mores liceat ab hac vel illa particulari Ecclesia discedere?

115.

Postquam ( liceat fateri veritatem apertam & publicam ) omnes Christianorum cœtus hac in parte sibi invicem facti sunt simillimi, neque mores admodum sunt diversi, in summa quamvis varietate & contrarietate sententiarum de dogmatibus: nulla pars Christianorum hoc nomine anathema facile dicere audeat alteri, metuens procul dubio, ne in ipsam retorqueri possit, quod *Job. VIII, 7.* legitur.

116. No.



116.

Nostro tenui iudicio non potest simpliciter dici, quod nullo in casu liceat abstinere à cœtu particulari in moribus magno & prope immedicabili gradu corrupto & depravato: sicut nulla ratione concedendum putamus, ut quibusvis privatis ob hujusmodi querelas, etiam non levissimas, ad schismata & separationes Ecclesiasticas provolare statim & res suas sibi habere, licitum credatur & Christianum.

117.

De libertate Ecclesiæ certum est in genere, eam, tanquam societatem & collegium à Domino ipso privilegiatum, propria habere jura, atque in tantum libera, ut ipsi eripi destruique non possint absque injuria & violentia, qualiscunque sit Reipublicæ status, cui innexa est, & in cujus societate civili vivit.

118.

Hobbessiana quædam Ecclesia, quæ cum Republica tantum non eadem est, monstri formam habet. Ipsa etiam rei natura atque indoles Ecclesiæ & Reipublicæ distinctissima quemvis per se convincit, ut cordi & ingenio vim facere cogatur, qui aliter statuere præsumferit. Hinc non minus absurdi sunt, qui ex Republica Ecclesiam faciunt, quam qui Ecclesiam in Rempublicam transformant.

119.

Speciosior est altera disputatio de ea libertate, quam ab initio foundationis suæ secundum nonnullos Ecclesia habuit Christiana, qui eam concipiunt pro illo tempore, ut existentem in statu æqualitatis & independentiæ, analogo statui, quem vocant, naturali primorum hominum, antequam mutuo consensu in civitatem & rempublicam congressi sunt, ita ut in cœtibus Christianorum primitivæ Ecclesiæ omnis distinctio subordinativa membrorum satis diu post primas origines eorum suum acceperit per accidens ex abusu libertatis promiscuæ apud erescens multitudinem, quæ ideo jure suo cesserit, & libertatem suam passa sit restringi.

120.

Nos non quidem negamus libertatem humilem & simplicem fidelium Ecclesiæ primitivæ recte & Scripturarum explicatam: hunc tamen statum æqualitatis & independentiæ, ut eum moderni quidam Scriptores effigiant, minime fundatum esse censemus: tota enim Historia Apostolica contrarium demonstrat.

121. Si



121.

Si qui velint eo se recipere, ut dicant, hoc ad minimum tempore nullum discrimen ordinis fuisse inter Ministros Ecclesiæ & Christianos reliquos: illis respondebimus, quod vel æquivocationem voc. ordinis pro præsidio habeant, nodumque in scirpo quærant, vel id ipsam statuunt, quod est plane falsissimum.

122.

*Diarii Trivulsiensis Auctores* jubent Lutheranam Ecclesiam ingemiscere, quod per principia Celeb. Virorum, quos allegant, **BUDDEI** & **BÖHMERI** cogatur fateri, se *superstructam esse fundamento illi stulto & blasphemio, quod Jesus Christus Ecclesiæ suæ nullam regiminis formam præscripserit, neq; Apostoli ipsi talem cognoverint.*

123.

Non potuisset Scriptoribus illis vitio verti, si copiosa rerum rationumque momenta, quæ in utriusque illius Viri Doctissimi libris quoad hanc partem occurrunt, maturo modestoque subiecissent examini. Sed cum pondus rei vix digito attigerint, & fastidiosa brevitate quasi in transitu sua fundant oracula, nemo non videt, summo jure polle hujusmodi philavtiam conterani.

124.

Et quid multis opus? Sole enim meridiano clarius est, quod Christiani successu temporis formam regiminis Ecclesiæ, quod vocare solent, mutaverint, & ita quidem mutaverint, ut sibi non amplius similis manserit.

125.

Aut ergo ( sic ad hominem argumentari possumus ) ejus rei facultatem habuit Ecclesia, aut non habuit. Si non habuit, E. eam usurpavit temere & illegitime, quod illi nunquam dicent, cum quibus nobis hic res est. Si habuit, sequitur igitur, nihil fixi certique in hac re à Domino & Apostolis ejus fuisse olim determinatum.

126.

Non erat quondam legitimæ libertati Ecclesiarum singularum per se contrarium, si exortis in certo aliquo cœtu vel loco particulari turbis Ecclesiæ vicinæ concurrerunt ad extirpationem notabilis cujusdam erroris aut scandali, quales conventus in primis seculis erant simplicissimi, sanctissimi que.

127.

Per-suadere nobis vix possumus, vel rigidos Independentes ( quos in

D

An-



Anglia præcipue cum stepitu excoluisse id Systema, & libertatem particularium quarumvis Ecclesiarum cum zelo & rigore defendisse constat) ejusmodi confederationi Ecclesiarum contradicturos, quæ ex principiis sapientiæ, unitatis, necessitatis, modo per se innocente, libero, salutari, juribus divinis ac humanis societatis laudabilis minime adverso, secundum normam veritatis & charitatis permittit jubetque causam communem religionis procurare.

128.

Ceterum nihil certius est, quàm quod libertati primævæ Christianarum Ecclesiarum successu temporis plurimum decreverit. Clamat de his decrementis tota Historia, quorum prorsus non eadem fuit ratio, idem principium, ætas, ordo & successus.

129.

Nollemus tamen quævis vestigia & exempla restrictæ immutatæque libertatis Ecclesiæ, maxime in seculis primis, derivare ex pura puta superbia, tyrannide & libidine dominandi, ut nonnulli cum excessu, ut judico, facere solent.

130.

Credibile potius est, ipsos etiam sapientiores inter Christianos ex rationibus sanctis & pro illo statu prudentibus sæpe concurrisse ad cobibendam multitudinem degenerantem, per hujusmodi consilia & instituta, quæ hujus potestatem, qua non amplius recte utebatur, limitarent, paucorum autem sapientum amplificarent facultatem bonum promovendi, malis autem resistendi. Quod ipsis in tantum licuisse salva simplicitate & humilitate, salvis fundamentalibus religionis Christianæ legibus, nequaquam dubitamus.

131.

Vitium in his rebus olim commissum non semper in eo stetit, quod nonnulla accommodata sint immutato statui ipsius Ecclesiæ, sed quod non satis provide & efficaciter deinceps cautum fuerit, ut cum ipsa necessitate mutationis non bona paraque ipsa quoque mutatio posset iterum cessare atque adeo redeuntibus in primam orbitam Christianis prior perfectiorque libertas ad ipsos redire.

132.

Sicubi etiam oppressa est libertas Ecclesiarum, non caruit ista calamitas justo Dei judicio, quia sese ipsæ ad sanctum & rectum suorum jurium exercitium ineptas & inhabiles reddiderunt. Sc. ex internis atque spiritua-  
libus



libus vitiis præcipuo jure repetenda est hæc jactura libertatis veræ, non ex solis accidentibus externis, quamvis & illa verissima sint.

133.

Libera in sensu divino non est Ecclesia, quatenus & quamdiu ingens multitudo membrorum illius peccato servit. Libera non est, si hominibus magis servit, quam Domino.

134.

Libera non est à mala voluntate, si non facit officium, cum posset: nec à mala servitute, si non potest facere officium, quod vellet.

135.

Libera non est, quamdiu credit, seriam & gravem disciplinam suæ libertati obstare, per quam tamen solam à putidis membris & contagio scandalorum potest liberari.

136.

Libera non est, quamvis ipsi credere liceret per homines, quicquid velit, si Verbo Dei non simpliciter credit & obedit.

137.

Libera non est, si vel mille Casuistæ tollerent peccata mundi & Ecclesiæ in sensu DIANÆ & CARAMUELIS, eamque à vinculis accuratæ religiositatis per probabilitates suas absolverent. Nec libera est, etsi ab humana potestate omnium peccatorum veniam & privilegium impetraret, vel propter hominum *παράδοξους*, undecunque emanent, Dei præcepta impune posset contemnere atque negligere.

138.

Ex alloquio Domini ad Ecclesiam Ephesinam discimus, illum non prius ab aliquo cætu, in quo nomen ipsius venerabile fuit, prorsus recedere, quam candelabrum è loco ejus penitus amotum fuerit.

139.

Durum est, quod Ecclesiæ Pergamensi dicitur, eam habitare, *ubi Satanae thronus est*, & tamen hætenus id ipsi crimini non vertitur, quatenus tenuit nomen Domini, & non abnegavit fidem suam. Imo distinxit oculus Domini fideles ab iis, qui adhæserunt doctrinæ Balaam, etsi cum his *pugnare* decreverit *rhomphaea oris sui*.

140.

Non innocentior priore Ecclesia in Thyatiris, imo nocentior ex parte, audire quidem cogitur, quas pestes in se nutriat, foveatque, ce-  
terum



terum ratione bonorum, licet valde infirmorum, ad quos Dominus respexit, veniam eo nomine impetrat, quod illi non agnovissent profunda Satanae, nec aliud onus in eam conicitur, modo, quod habeat, teneat, usque dum venerit Dominus.

141.

Nescio, annon Sardensis Ecclesia typum praestare possit coetus inter Christianos agonizantis? imo plus dicitur: *Novi*, inquit Filius Dei, quod nomen habeas, te vivere, sed mortua es. Idem tamen agnoscit, non omnia esse mortua: stabiliri posse reliqua, etiam moribunda: pauca quidem, sed aliqua tamen, esse nomina in Sardibus, quae vestimenta sua non polluerint.

142.

In media Laodicæa non desinit Christus consulere emtionem auri puri, vestimentorum alborum & collyrii: imo non desinit consistere ad januam & pulsare. Cupiebat (ita præclarus interpret loquitur) eam servare, ut amatam, non perdere, ut reprobam: quare, ubi videmus, Dominum Ecclesie Laodicæa vitia severa oratione perstringere, non mox cogitandum est, nihil bone frugis in illa Ecclesia restitisse, quod laudem mereretur.

143.

Ex quibus rectissime colligimus, in iudicio de statu Ecclesie ut summa moderatione & prudentia: ita & sapientissima gravitate & peritia in viis Domini opus esse; quas virtutes tamen seculum nostrum ex rationibus eo dignis sapissime partim negligit, partim pervertit, partim tueri ac defendere nescit.

144.

Uno verbo, cum vulneribus Ecclesiarum Christianarum ita est comparatum, ut nihil superfit in eo statu, quo nunc sunt omnes in oculis divinis & quoad multitudinem, quam ut vel obsequantur bonis rectisque consiliis, quibus eas Dominus non destituit: vel ut maturefiant porro ad horrenda illa & universalia iudicia, quæ eas his temporibus expectant, licet ipsæ ea non semper expectent.



ED-Beg. 2002

01 A 6729

Retra

Mi. 46









t. 8  
De  
Causis errorum circa doctrinam  
DE  
**ECCLESIA,**

Nec minus  
De Ecclesiae veris ac legitimis membris,  
Ejusdemque  
Visibilitate & invisibilitate, splendore perpetuo, infal-  
libilitate, sanctitate, unitate, libertate,  
ac denique sanabilitate

Aphorismi  
Ad  
*EXERCITATIONEM ACADEMICAM*  
selecti,

Quos  
*PRÆSIDE*  
**CHRISTIANO EBERHARDO  
WEISMANNO,**

SS. Theol. Lic. & Professore Publ. Extraord.  
ac Pastore Ecclesiae Tubing.

Ad diem mensis Julii A. MDCCXXII.  
Loco horisque solitis  
Defendet

**JOH. CHRISTIAN. WINCLER,** Wimpinensis,  
Philosoph. Magister & SS. Theol. Studiosus.

TUBINGÆ,  
Literis GEORGII FRIDERICI PFLICKII.